

eorum et inter scholia Medicea recipiunt et in apparatu critico proponunt. scilicet emendatur haud raro Medicei ipsius memoria; at obstinato animo libros contemnunt, quorum ope emendatur. per reliquas tragoedias siquid omnino a manu recenti mutatum est (dubito enim) momentum non facit.

Ordo tragoediarum in Mediceo est Pers. Agam. Choeph. Prom. Eum. Sept. Suppl. qui non potest non deberi scribae libidini, eademque libido in Sophoclis tragoediis regnat. commode autem accidit, ut ex ipso Mediceo demonstrari possit, Prometheo primum locum deberi. vitam enim, quae in calce tragoediarum scripta est, excipit excerptum ἐκ τῆς μουσικῆς ἱστορίας, quo narratur Promethei tragoediarum personas omnes esse divinas. deinde scholion ponitur quod ad initium Promethei repetitur, agit autem de scaena huius tragoediae. denique de tragoediarum titulis aliquid proponitur. in propatulo, opinor, haec non potuisse hoc loco proponi, nisi prima tragoedia sequeretur Prometheus. ergo genuinum ordinem deseruit Mediceus, tenent triadis libri, in quibus illa de loco nota ipsi argumento adhaeret. Oresteam secutam esse consentaneum est, Supplices ultimam fuisse, sicut est in Mediceo et in editionibus veteribus. quod lacero et a grammaticis Byzantinis parum emendato huius tragoediae contextu confirmatur. similiter habitae sunt Euripidis et Aristophanis fabulae, de quarum ordine constat. nam Sophoclis tres quidem primas tragoedias esse credimus Aiace Electram Oedipum Regem; credimus autem propterea quia Byzantina exempla huius triadis permulta extant, quae si sola ordinem iustum servant, non sunt omnino negligenda. de quattuor reliquis tragoediis ego certi nihil scio. nam Sophocles editorem quidem quotannis invenit novum: qui memoriam eius ad verae artis normam exigeret nondum extitit.

Scholia Aeschylea post Robortellium Victorium Stanleium (ut mittamus eos qui nihil novi aut certe nihil probi addiderunt) recte in genera sua post Stanleium disposuit C. F. Francken (Lugduni Bat. 1845) e cuius disputatione Dindorfius gravissima excerpit, cum editionem Oxoniensem (1851) parabat. multa dexterrimus ille editionum caupo neglegenter fecit, sed hoc libro se ipsum vicit. dudum fraus perpluisset, nisi inutilia scilicet Byzantinorum magistellorum commenta nemo attigisset. edidit sane Persarum scholia 1894 O. Dähnhardt, postquam inesse eis bona a Mediceo ommissa docui; sed hic quoque, ut taceam de edendi inscitia, Germanicos quidem libros, quorum nullus usus est, contulit, Parisinorum memoriam Dindorfio debet, Italicos ignorat.